1 scheda

ACTUS SOLENNES
GYMNASII REGII ASCIBURGENSIS

CALENDIS SEPTEMBRIBUS

RITE HABENDOS

RECTORIS COLLEGIIQUE NOMINE

INDICIT

DR. MICH. JOSEPHUS TROLL,

GYMNASII PROFESSOR.

PRAEMITTITUR COMMENTATIO

DE NON MUTATA CLASSIUM CENTURIARUMQUE AB SERVIO TULLIO DESCRIPTARUM RATIONE.

ASCIBURGI.

TYPIS WAILANDTIANIS MDCCCXXX.

De non mutata classium centuriarumque ab Servio Tullio descriptarum ratione.

Quamvis de Romanorum comitiis, re gravissima et omnibus civium ordinibus maxime exoptata, jam inde restauratarum saeculis literarum a summis et eruditissimis viris disputatum saepenumero sit; illa tamen disceptatio tantum abfuit, ut satis exposita atque illustrata ad finem perduceretur, ut de multis, quae ad comitia eorumque imprimis immutationem pertinerent, rebus non conveniret. De eadem igitur immutata, quam dicunt, comitiorum centuriatorum ratione et nostram qualemcunque sententiam in publicum proferre, hoc loco alienum non esse videatur.

Tribus praecipue auctorum classicorum locis, Livii I, 43. XL, 51. et Dionysii Halicarnass. IV, 21. viri celeberrimi et in omni doctrinae genere versatissimi eo adducti sunt, ut institutum ab Servio Tullio civium Romanorum ordinem proximis temporibus immutatum omnino esse contenderent. Quorum opinionibus hoc loco breviter recensitis non tam certa, quibus nitantur, argumenta, quam vanas esse ingenii conjecturas, facile adparebit. Ex Livii verbis: „Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum seniorumque, ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire". Octav. Pantagathus apud Ant. Augustinum (vid. Fulvium Ursinum ad Liv. I, 43.) elicit, primam classem Livii tempore 35 centuriis equitum constitisse, 35 juniorum totidemque seniorum peditum centuriis. Secundam classem totidem seniores pedites atque juniores, equites habuisse nullos. Sic tertiam, quartam et quintam classem. Ita factas 385 centurias et singulas nominibus distinctas tribuum esse. Quam sententiam comprobaturus adjecit alios Livii locos XXIV, 7. XXVI, 22. XXVII, 6. et titulum statuae Vespasiani tempore a tribulibus Suburanae juniorum statutae (Grut. thesaur. p. 239, 3.). Sed eam rem infra planam faciemus; jam ad ceteros, qui de comitiorum centuriatorum permutatione scripserunt, transeamus. —

1

Nic. Gruchius (De comitiis Romanorum I, 4. in Graevii thesaur. I, 703) primam classem ex novo rerum ordine, ut antea, centuriarum numero superiorem fuisse ratus, singulis posterioribus classibus minimum 70 centurias seniorum et juniorum peditum tribuit, quo 280 centuriarum summam, quam prima classis equitum peditumque centuriarum numero superaverit, effectam esse contendit. Suffragia autem lata esse ita, ut singulae cujusvis tribus centuriae a classe prima ad extremam suffragarentur, et major suffragiorum numerus ejus tribus suffragium haberetur. — „Nunc vero si simul jungas secundae, tertiae, quartae, quintae classis centurias, quae erant per XXXV tribus distributae, efficientur minimum quater septuaginta, hoc est, ducentae octoginta centuriae. His vero 280 centuriis opponendae sunt plures numero centuriae primae classis conjunctae cum equitum centuriis: alioquin non fuisset relicta vis suffragiorum penes primores, nisi numero centuriarum vincerent ceterarum classium centurias.“

Savigny (Hugo civ. Magazin III. p. 307.) Oct. Pantagathi sententiae accessit, in eo tantum dissentiens, quod centuriis 385 equitum peditumque aliam capite censorum addendam esse arbitratur. „Jede Tribus enthält nach dieser neuen Verfassung aus jeder Classe 2 Centurien, nämlich eine Centurie juniores und eine seniores. — Neben dieser Regel ist noch auf zwei Umstände Rücksicht zu nehmen, auf die equites, welche nun noch hinzugerechnet werden müssen, und auf die 6te Classe, welche von der Regel selbst wieder eine Ausnahme macht.“ (p. 310.) Die Rittercenturien wurden vom Censor aus dem ordo equester ausgewählt, und waren insgesammt juniores, so dass sie also nur 35 ausmachen konnten. — In der 6ten Classe war nur eine Centurie enthalten, so dass die ganz armen Bürger (proletarii und capiti censi) an der gesetzgebenden Gewalt beinahe gar keinen Antheil hatten (p. 313). Cf. H. G. Reichard, Erinnerungen, Ueberblicke und Maximen aus der Staatskunst des Alterthums. Leipz. 1829. S. 371.

Hüllmann (Staatsrecht des Alterthums), quod centuriarum cujuslibet tribus numerum et suffragiorum lationem attinet, Oct. Pantagatho assensus, singulas equitum centurias in suffragium missas esse negat. „Die erste wichtige Veränderung bestand darin, dass nicht mehr aus der Gesammtheit der Bürgerschaft alle diejenigen, die zu einer Classe gehörten, zusammen berathschlagten, sondern dass sie vereinzelt in den 35 Tribus verhandelten und stimmten. — Jede Tribus zerfiel in 5 Classen, wovon jede wieder eine Centurie der Aelteren und eine der Jüngeren hatte. — Zu der ersten Classe jeder Tribus gehörten auch diejenigen Bürger vom Ritterstande, die in dem Schatzungskreise ansässig waren.“ (p. 342.)

Schulze (Von den Volksversammlungen der Römer, Gotha 1815 p. 75.) centurias ut classium, sic postea tribuum partes factas esse opinatur, ut praeter equitum centurias, numero quidem ignoto, 70 peditum centuriae, binae singularum tribuum, sive capite censorum alia addita, 71 centuriae novi civium ordinis essent.

Niebuhrius quoque centuriarum a Servio Tullio descriptarum immutationi se suffragari, in libello: „Ueber die Nachricht von den Comitien der Centurien im

2ten Buche Ciceros de republ." his verbis declaravit: „Was Veranlassung, Zweck und Wesen der Veränderung der Centurieneinrichtung war, darzustellen, verschiebe ich auf den nächsten Band der Geschichte." Quod quum volumen historiae Romanae alterum editionis emendatae adhuc in lucem non prodierit, nihil sane est, quod de clarissimi viri sententia certum atque exploratum habeamus.

Burchardi (Bemerkungen über den Census der Römer mit besonderer Rücksicht auf Cicero de republ. Kiel 1824) equitum centurias auctas non esse, et praeter 350 peditum centurias tubicinum et cornicinum duas centurias, et accensorum velatorum unam centuriam, mutato reipublicae statu exstitisse affirmat.

Hermannus in epistola ad Steinackerum data locum Ciceronis de republ. II, 22. ut explicaret, numerum centuriarum a Servio Tullio descriptarum servatum quidem esse, sed ne vis omnis, ut antea, penes primores civitatis esset, primae classi decem peditum centurias detractas, et secundae classi adjectas esse statuit. Cui sententiae viri quidam haud vani accesserunt.

Reisig E. (In den Ergänzungsblättern zur Jenaischen allgem. Literatur-Zeitung 1824, Nr. 39.) Servianum peditum ordinem 184 centuriis, et 18 equitum centuriis cum novem suffragiis, constitisse pro certo posuit. Mutatum vero earum numerum ita esse, ut exinde 350 peditum centuriae et equitum plebejorum 70, patriciorum 12 fuerint centuriae.

Frank (De tribuum, curiarum atque centuriarum ratione disputatio critica Slesvici 1824 p. 80) extrema liberae reipublicae aetate centurias fuisse tribuum partes asserit, ut cunctae, quae ad unam tribum pertinerent centuriae, unum efficere in comitiis centuriatis suffragium putarentur. Classium vero centurias, neque auctas neque minutas, ita per tribus esse distributas, ut non omnium classium continerent centurias, verum singulae classes suis conficerentur tribubus. Quo factum esse, ut tribus, quae antea e regionibus divisae eadem fuissent dignitate, postea classibus, quarum discrimina ad illas transiissent, contentae inter se dignitate multum differrent. Quot tandem centuriae unamquamque tribum effecerint, pro certo affirmare ausus non est.

Goettling (Ueber die Volksversammlungen der röm. Republik, Hermes 1826. p. 121.) omnes omnium civium centurias numerum 350 non excessisse contendit. Equitum centurias suffragia non tulisse segregatas, verum primae classis centuriis insertas, nec singulas tribus unius tantum classis centuriis confectas, sed omnium classium centurias, quae ita suffragium iniissent, ut sorte tribus et juniorum aut seniorum bis ducta, major cujusvis tribus centuriarum idem consentientium numerus pro uno suffragio haberetur, continuisse.

Has virorum doctissimorum diversas, quas nos quidem novimus, de mutato Serviano civium ordine opiniones hoc loco colligendas eo consilio esse putavimus, ut jam ex his discrepantibus auctoribus intelligi possit, firmum, quo comitiorum immutatio centuriatorum nitatur, argumentum non esse. Alii enim auctum, alii imminutum,

alii denique conservatum centuriarum numerum existimant, neque inter eosdem de mutati ordinis tempore, neque de lati ex nova civium descriptione suffragii ratione quidquam convenit. Jam vero, quo facilius intelligatur, non nisi meras virorum clarissimorum de hac re editas esse conjecturas, illos, qui mutatum Servianum reipublicae ordinem indicare videntur, auctorum rerum Romanarum classicorum locos in medium productos interpretari conabimur.

Liv. I, 43. quo loco Pantagathus plurimique alii, qui ejus vestigia premebant, ad suam adducti sententiam sunt, descripta classium centuriarumque ratione, ita pergit: „Nec mirari oportet, hunc ordinem qui nunc est, post expletas 35 tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum seniorumque, ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire; quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quae habitabantur partes, tribus eas adpellavit, ut ego arbitror ab tributo; nam ejus quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Neque hae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere." — Arctis hujus libelli limitibus moniti, omnibus interpretum hoc de loco opinionibus praetermissis, quid nos quidem de eo sentiamus, paucis statuere in animo est. Quum ex Livii ipsis, quae supra (c. 42.) legimus, verbis „tum classes centuriasque et hunc ordinem ex censu descripsit" facile appareat, „hunc ordinem" aliam quandam vim ac „classes centuriasque" habere, iisque ceu novam rem esse adjectum: illa vocabula „hunc ordinem, qui nunc est" non ad descriptas classes centuriasque, sed ad alteram reipublicae rationem, ad tribus dicimus, spectare persuasum nobis est. Omnem vero interpretum errorem in eo versari, quod vocabulum „earum" relatum sit ad centurias, particula „enim" omnino neglecta, ac si verba: „institutam ab Ser. Tullio summam" ad centuriarum, et non tribuum numerum pertinuerint, nemo non videt. Livius igitur exposito centuriarum ordine tribus quoque Servianas hoc loco describere orsus, tantum abest, ut mutata esse posteriore tempore comitia centuriata autor sit, ut nonnisi de tribubus, iisque 4 Servianis, sua aetate 35 expletis, et earum numero centuriis juniorum seniorumque duplicato referat. Quae quum ita sint, ex illis Livianis verbis classes et centurias sive mutatas sive per tribus distributas esse, elici non posse, sed tribus Servianas quatuor, quas Livius novit, postea auctas, et in 35 centurias juniorum totidemque seniorum divisas, „ad centuriarum distributionem numerumque pertinuisse," iis praecipue, quae antecedunt, verbis „quadrifariam enim urbe divisa" edocti contendimus. Quam tribuum in centurias juniorum seniorumque divisionem non ea factam ratione esse invenimus, ut comitiis tributis ceu centuriatis suffragia ferrent, verum ut ex centuriis stipendia mererentur, iique seniores urbem custodiendo, juniores foris gerendo bella. Milites enim secundum tribus scriptos esse apud Livium IV, 46. relatum legimus: „Decem tribus sorte ductae sunt, ex his scriptos juniores tribuni ad bellum duxere." Quod quidem U. c. 837 factum est, quo tempore centuriarum per tribus distributionem ne suspicari quidem possumus. Alter Dionysii IV, 14. locus a Nibuhrio (H. R. p. 489) emendatus idem docet:

„Τοὺς ἀνθρώπους ἔταξε τοὺς ἐν ἑκάστῃ μοίρᾳ οἰκοῦντας μήτε λαμβάνειν ἑτέραν οἴκησιν, μήτε ἄλλοθί που συντελεῖν· τάς τε καταγραφὰς τῶν στρατιωτῶν καὶ τὰς εἰσπράξεις τὰς γενομένας τῶν χρημάτων εἰς τὰ στρατιωτικὰ καὶ τὰς ἄλλας χρείας, ἃς ἕκαστον ἔδει τῷ κοινῷ παρέχειν, [καὶ] οὐκέτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς [στρατιωτικὰ] ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικὰς [καὶ] τὰς ὑφ' ἑαυτοῦ διαταχθείσας ἐποιεῖτο."

Et alterum, qui ipsis verbis mutata suffragia esse doceat, perpendamus Livii locum XL, 51. „Mutarunt suffragia: regionatimque generibus hominum causisque et quaestibus tribus descripserunt." Quae quidem verba tribuum non centuriarum suffragia quum mutata in eo esse perhibeant, ut homines secundum regiones, genera, causas et quaestus in tribus divisi sint: jam Gruchius (de comit. Rom. IV.) hoc loco de tribubus non regionatim modo, sed generibus et fortunis descriptis agi, et hanc suffragiorum mutationem ad tributa, non ad centuriata comitia pertinuisse disputavit. „Illi censores, ait Gruchius, voluerunt etiam tribus alia quadam ratione distingui, nempe generibus, causis et quaestibus, quae hominum descriptio servaretur etiam tum, quum tributim populus suffragium ferret. Mutarunt igitur suffragia, quatenus tributis comitiis voluerunt distinctionem esse inter homines ejusdem tribus, per genera, causas et quaestus. Ut seorsum quidem, cum tribus vocata erat, suffragium dicerent patricii, quotquot in ea tribu erant, tum senatores, deinde publicani, mox tribuni aerarii, deinde scribae, post agricolae, eodemque modo in quaestuum distinctione. Attamen tum una tribus unum suffragium habebat, ac non tot suffragia, quot erant hominum distinctiones in quaque tribu." Quod quo facilius appareat, de centuriis ceu tribuum partibus hoc loco ne cogitari quidem posse, vel inde videbis, quod neque census sive pecuniarum, neque aetatis, qua centuriae efficiuntur, facta mentio est. Ceterum jam priore tempore in tribubus describendis et hominum generum et ordinum rationem habitam esse Livius docet IX, 46. „Ap. Claudius humilibus per omnes tribus divisis, forum et campum corrupit. — Fabius, simul concordiae causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas adpellavit. Adeoque eam rem gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret." Cf. Dionys. Halic. IV, 22.

Neque majoris denique momenti sunt verba, quae legimus apud Livium XXIV, 7. „Eo die, quum sors praerogativae Aniensi juniorum exisset etc.; XXVI, 22. „Quum comitia consulibus rogandis haberet, praerogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium Torquatum et T. Otacilium"; et XXVII, 6. „Galeria juniorum, quae sorte praerogativa erat, Q. Fulvium et Q. Fabium consules dixerat." Ut silentio praetermittamus, optimis codicibus MSS. nomina „Aniensem, Veturiam, Galeriam," quae tribuum sint, non praeberi, et conjectura tantum nata criticorum esse: Sigonio viro eruditissimo assentimur, qui ea nomina ad centurias, non ad tribus, referenda putat (Sigonii emendat. II. 35). Neque cuiquam in dubio esse potest, quin,

omnibus his locis nulla tribuum, sed centuriarum, mentione facta, res ita se habeat, ut ex Liv. XXIV, 9. videre est: „Eosdem consules ceterae centuriae sine variatione ulla dixerunt.“ Ut igitur illa nomina „Aniensis, Veturia, Galeria“, quae in editionibus habentur, vere Liviana sint, neminem mirari oportet, centurias quasdam iisdem, quibus tribus, nominibus gavisas esse, quum gentibus nonnullis et tribubus idem contigisse constet. Ita enim cecinit Virgil. Aeneid. VII, 707. „Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens Per Latium.“

Jam tempus monet, ut in exponendis ceteris, qui de mutata centuriarum ratione agere videntur, auctorum classicorum locis breviores simus. Dionys. Halicarn. IV, 21. Serviana civium descriptione relata ita pergit: „Ουτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεὰς φυλαττόμενος ὑπὸ Ῥωμαίων· ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κεκίνηται χρόνοις, καὶ μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον, ἀνάγκαις τισὶ βιασθεὶς ἰσχυραῖς, ου τῶν λόχων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κλήσεως αὐτῶν οὐκέτι τὴν ἀρχείαν ἀκρίβειαν φυλαττούσης, ὡς ἔγνων ταῖς ἀρχαιρεσίαις αὐτῶν πολλάκις παρών.“ Jam omnium primum, Cod. Vat. lectionem „κλήσεως“ vulgatae „κρίσεως“ longe praeferri oportere, neque unquam centurias auctore Dionysio sublatas, neque auctas esse neque minutas satis constat. Et quum de centuriarum permutatione earumque conjuncta cum tribubus ratione hoc loco minime agatur, haud scio, an liceat de eo verissime dicere: praeclarum illum reipublicae ordinem per multas quidem aetates exstitisse integrum, posteriore vero tempore in quoddam genus magis populare versum esse, non quo centuriae comitiaque centuriata sint mutata sive soluta, sed quia aucto tribuum numero et tribunorum auctoritate comitia tributa, quae maximam partem plebis essent, sensim superaverint, plurimasque res publicas, quae ad illa pertinerent, sibi agendas, dijudicandasque arrogaverint. Quod quum re ipsa Dionysii aetate factum esse, et, quo tempore Romae fuerit (ὡς ἔγνων ταῖς ἀρχαιρεσίαις πολλάκις παρών) centuriata comitia haberi desiisse a certis traditum auctoribus sit; illa exposita verba vere a nobis intellecta esse dubitari nequit. Quod si vero, Dionysium hoc loco de tributis comitiis non cogitasse, sed de comitiis centuriatis Imperatorum tempore vetustatis causa adumbratis scripsisse contenderis, altera, quae in promptu est, novi magisque popularis ordinis interpretatio inde hauriri potest, quod, lege de vocandis centuriis a. C. Gracho perlata, primae classi, ne in optimatum potestate comitia essent, praerogativa tollebatur. Ita enim auctor de ordin. rep. (C. Sallustius) cap. VIII. refert: „Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Grachus in tribunatu promulgaverat, ut ex confusis quinque classibus centuriae vocarentur.“ Quae quidem, strictim a nobis dicta, apertiora fient infra.

Et Ciceronem adgrediamur, quem, libris de republica nuper detectis, permutatae comitiorum centuriatorum rationis auctorem recentioris aevi quidam scriptores esse voluerunt. Sed locus ille corruptissimus, (lib. II, 22.) qui eo spectare videtur, a Niebuhrio V. Cl. tanto ingenii acumine tantaque perspicuitate restitutus est, ut illam Ci-

ceronianam rerum descriptionem non ad posteriora tempora, sed ad Servianum ipsum reipublicae ordinem referri posse nemo non videat. Ne igitur diutius lectores moremur, verba ipsa emendata ex Niebuhr. hist. Rom. ed. alt. p. 469 transscribimus. „Nunc rationem videtis esse talem, ut prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, 81 centurias habeat: quibus ex 114 centuriis, tot enim reliquae sunt, equitum centuriae cum sex suffragiis solae si accesserunt, confecta est vis populi universa: reliquaque multo major multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset; nec valeret nimis, ne esset periculosum." (Cf. Niebuhr. de comitiis centur. p. 23 — 27; et Orellium in hunc locum, ubi diversas virorum doctissimorum opiniones collectas videbis.) Praeterea viri quidam alia Ciceroniana vestigia, quibus suam de mutata centuriarum ratione firmarent opinionem, legerunt, orationem imprimis pro Plancio cap. 20 inducentes, ubi ita disseritur: „An tandem una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit aut iis ipsis comitiis consul, aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declaraverit? cujus in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogativa." (Ex recens. Orelliana.) Ex hac vero oratione conjunctam tribuum centuriarumque rationem colligi posse aegre mihi persuadebitur. Plancium enim comitiis tributis aedilem factum haec verba aperte demonstrant: „Vocatae tribus, latum suffragium: descriptae, renuntiatae (c. 20). »Dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plocio tulerit Plancius"? (c. 22). Dein sententiam: „an tandem una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis", non de hac ipsa Planciana re comitiisque tributis, sed, comparata aedilis Plancii rogatione, de comitiis centuriatis rogandoque consule intelligendam esse patet; illis autem verbis: „non unius tribus pars" centurias non dici tribuum partes, quod Pantagathus apud Ant. Augustin. asserit, sed ut opposita, „una tribus — comitia tota" magis illucescerent, unius tribus partem pro una tribu ornate positam esse, pro certo statuimus. Quamquam enim pars unius tribus cum una centuria praerogativa comparatur, id tamen effici nequit, ut haec vocabula „pars tribus et centuria" idem velint. Tribus quidem in diversas partes esse descriptas, et nos supra cum Gruchio monuimus, sed eas apud neminem rerum Romanarum scriptorem centurias esse designatas invenies.

Alios, qui ab his aliisque afferuntur, locos: Cic. de legg. III, 3. „partes populi in tribus distribunto, exin pecunias, aevitates, ordines partiunto"; et de lege agrar. II, 2. „Me non extrema tribus suffragiorum consulem declaravit"; denique petit. Consul. 8. „Qui apud tribules suos plurimum gratia possunt, tui studiosos in centuriis habebis," leviter modo videas, ut, eos speciosiores quam graviores, ne minimum quidem ad comprobandam illorum opinionem valere cognoscas. Ceterum Manutii (de comitiis Romanorum) de his locis sententia, quam minus probaveris, ita habet: „Nemo gessit magistratum, nisi quem populus bis suffragiis latis magistratu dignum judicavit. Erant autem de minore magistratu bina tributa comitia, priora a consule, posteriora

a minore magistratu habita. — In majore magistratu priora tributa, posteriora centuriata fuere. — Cicero igitur nominat tribus, cum priora comitia intelligit, centurias autem etsi non nominat, eas tamen posterioribus comitiis suffragium tulisse dubium non est."

Pauca denique reponemus iis, qui ex inscriptionibus a Grutero collatis Servianas centurias tribuum partes factas esse conjiciunt. Quae quidem ad nostram rem spectant verba, inde transcripta haec fere sunt: „Thes. p. 711, 11. „tribus Palatinae corp. junioris." — p. 1115, 8. „tribus Palatinae corp. seniorum, clientium." — p. 243, 1. „Trib. suc. corp. Foeder." Frankius (l. l. p. 98.) tribuum quidem corpora eadem fuisse ac Servianas centurias, ideoque erroris eos esse arguendos contendit, qui nonnisi binus singulis tribubus centurias comprehensas esse credant. Quum vero ille Vir doctrina ornatissimus aliis quoque auctorum classicorum locis corpora pro centuriis posita esse non docuerit; dubitamus, an cuiquam ejus rei fidem fecerit, et a Livio inprimis edocti, vocabulum „corpora" hoc loco non nisi sensu collegiorum, generum et gentium concipi posse, certum habemus. Inspicias nimirum Liv. I, 17. „Sabini sui corporis regem creari volebant." IV, 9. „Tutores ejusdem corporis (generis plebeji) erant." VI, 34. „Inter sui corporis (gentis patriciae) homines." XXVI, 16. „Corpus nullum civitatis."

Itaque, quum ne unum quidem antiquorum auctorum testimonium, quo classium centuriarumque a Servio descriptarum mutatio nitatur, inveniri, neque quidquam, nisi quod certis comprobatum sit argumentis, in re gravissima verum dici possit: illum Servianum civium ordinem re ipsa per omnes aetates integrum exstitisse, persuasum nobis est, aliisque quibusquam veterum vestigiis ad firmandam sententiam lectis, neminem, qui nobis adversetur, fore existimamus.

Vetusta reipublicae instituta, quia religiosum erat abolere, in novissima usque liberae civitatis tempora a Romanis haud sine veneratione conservata esse, multis cognoscitur ex rebus. Ita comitia curiata, etsi in republica administranda loco cesserant comitiis centuriatis, ad speciem tamen formamque permanebant, quod certe Cicero refert, de leg. agrar. II, 12. „Illa comitia (curiata) ad speciem atque usurpationem vetustatis per 30 lictores auspiciorum causa adumbrata." Eandem Romanorum religionem admiramur in creando rege sacrificulo (Liv. II, 2. IX, 34.); in sacerdotio Potitiorum ad aram Maximam Herculis per servos publicos administrando (Liv. I, 7. IX, 29. 31.); in mandandis sacerdotiis per minorem populi partem (Cic. in Rull. II, 7.), et in colenda denique patrum auctoritate, vi licet ademta (Liv. I, 17. VIII, 12.) Quae quum ita sint, vera comitiorum centuriatorum permutatio non sine maximis rerum motibus facta esset, atque auctores antiqui, rem omnium gravissimam non silentio transmissam, perspicuis sane verbis memoriae prodidissent.

Quodsi autem omnes centurias, sive auctas sive minutas, ex aequa ratione in omnes 35 tribus divisas esse quidam opinantur, inde efficiatur necesse est, ut quatuor etiam urbanis tribubus primae et secundae classis centuriae aliquot adjectae sint, quod eo minus fieri potuit, quia in eas, quae humillimos continerent homines, transferri ig-

nominiosum erat. Ita enim Livius tradit: „Fabius, simul concordiae causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit urbanasque eas apellavit" (IX, 46.). Et Plinius hist. nat. XVIII, 3. „Rusticae tribus laudatissimae, urbanae vero, in quas transferri ignominiae esset, desidiae probro." Ad hoc accedit, quod, si classibus centuriisque per tribus distributis conjunctam utrarumque rationem esse contenderis, suffragiorum lationem sibi repugnare quisque intelligit. Quum enim singulas unius cujusque tribus centurias in suffragium esse missas, et majorem earum, quae consentirent, suffragiorum numerum ejusdem tribus suffragium esse dicas, certissimis auctoribus adversaris Livio et Ciceroni, qui classes et equites comitiis centuriatis non confusos, sed secretos, ut antea, suffragium iniisse referunt. Liv. XLIII, 16. „Prior Claudius causam dixit; et cum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis, ex templo principes civitatis — vestem mutarunt." Et Cicero Phil. II, 33. „Ecce Dolabellae comitiorum dies, fortitio praerogativae: quiescit; renuntiatur: tacet; prima classis vocatur: renuntiatur; deinde, ut assolet, suffragia; tum secunda classis (vocatur)."

Neque magis, si centurias tribuum partes dixeris, in praerogativa sive ea centuria, quae princeps in suffragium iret, sorte eligenda omnibus probaberis. Sortem enim de praerogativa bis ductam esse, quae quidem plurimorum, qui de mutata comitiorum centuriatorum ratione scripsere, opinio est, primum de tribu, deinde de centuria statuendum erit. Atqui nusquam repetitae sortitionis vestigium reperies, et, quicunque hujus rei mentionem fecerint, auctores comitiis centuriatis centuriam praerogativam, non tribum, dixisse cognosces. Illam ergo de conjuncta classium centuriarumque cum tribubus ratione sententiam labefactari omnemque ei fidem derogari re ipsa patet. Quod si denique conjuncta centuriarum tribuumque indoles ea fuisset, ut, singulis singularum tribuum centuriis in suffragium missis, numerus consentientium major cujuslibet tribus suffragium haberetur, et ex tribuum numero 35 tantum suffragia ad rem conficiendam inde ferrentur: de comitiis centuriatis, quae fere apud omnes rerum auctores postremis ipsis temporibus praedicantur, ne sermo quidem foret, eademque nonnisi tributa comitia et esse et dici possent. Quae quamvis comitia, illa ratione mutata, primoribus civitatis, quorum centuriae in tribus distributae neque numero neque auctoritate ceteras vicissent, minime probari potuisse pateat; Ciceronem tamen nobilitatis fautorem centuriata comitia, rem omnium pulcherrimam, animo quodam inflato praedicasse, et tributis comitiis semper praetulisse invenimus. Unde comitiorum mutationem, optimatibus infensam, non esse factam colligere licet. De harusp. resp. 6. „Deinde eandem domum populus Romanus, cujus est summa potestas omnium rerum, c o m i t i i s c e n t u r i a t i s, omnium aetatum ordinumque suffragiis, eodem jure esse jussit, quo fuisset." Post redit. in senat. 11. „Quo die nos c o m i t i i s c e n t u r i a t i s, quae maxime m a j o r e s c o m i t i a j u s t a dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam: ut eaedem centuriae, quae me consulem fecerunt, consulatum meum comprobarent." Pro domo 33." Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium

gentium, quem illo praeclarissimo die, scelerate, vidisti tum, cum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque aetatum omnium suffragium se non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant.“ Pro Sextio 34. „De capite non modo ferri, sed ne judicari quidem posse nisi comitiis centuriatis.“ De legg. III, 19. „Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, aetatibus, plus adhibet ad suffragium consilii,) quam fuse in tribus convocatus.“

Quomodo igitur tam invisam primoribus legem de centuriis tribubus subjiciendis perferri potuisse expones? nonne omnes ei maximopere restitissent patricii, usique essent, qua suis quisque, qua totius corporis viribus? Tribuni quidem, quominus tribus de republica gubernanda convocarent, per easque plebiscita fieri juberent, a nemine impediri potuerunt; eos autem, adversa omnium civitatis primorum invidia, classes centuriasque lege lata tribubus suis subjecisse, vix, qui credat, ullus erit. Centuriata itaque comitia, sicuti ante curiata, a tribunis quidem posthabita esse concedimus, sed ea ratione, ut primae classis centuriae majore auctoritate privarentur, mutata esse negamus.

Quid tandem est, cur omnibus locis, ubi de comitiis centuriatis agitur, nulla unquam tribuum, sed centuriarum modo mentio fiat? Nonne, si centuriae tribuum partes erant, multifaria tribum, cujus ferme centuriae ferebantur, commemorandi, nedum occasio, sed necessitas quaedam fuit? Quodsi ergo antiquissimi rerum Romanarum scriptores comitiorum centuriatorum tribus non agnoverint, nullam unquam centuriarum tribuumque rationem conjunctam fuisse, vere dici potest. Quae res quum major, quam cui videatur, habenda sit, eam planius usurpatam certissimis auctorum comprobaturi testimoniis sumus. Gellius (XIII, 15.) Messalae verba de magistratibus per comitia centuriata rogandis ita retulit: „Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates. Maxima sunt consulum, praetorum, censorum. — Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: ideo illi majores, hi minores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed justius curiata datur lege. Majores centuriatis comitiis fiunt.“ Huc adde, quod apud Ciceronem legimus. Pro Sext. 34. „De capite non modo ferri, sed ne judicari quidem posse nisi comitiis centuriatis.“ Et de legg. III, 19. „Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt.“ Quoties igitur de majoribus illis magistratibus rogandis aut de perduellione agatur, apud omnes auctores eas res centuriatis comitiis latas esse, et centurias, non tribus, in suffragium missas invenies. De majoribus quidem magistratibus creandis ita scriptum reliquerunt. Liv. I, 60. „Duo consules comitiis centuriatis creati sunt.“ X, 22. „Primo vocatae omnes centuriae consulem dicebant.“ XXIV, 7. „Eosdem consules ceterae centuriae dixerunt.“ XXVII, 24. „Ut consulem centuriae omnes crearent.“ Cic. post redit. in senatu cap. 11. „Ut eaedem centuriae, quae me consulem fecerunt, consulatum meum comprobarent.“ Pro Muraena cap. 1. „Illo die, quo auspicato, comitiis centuriatis L. Muraenam consulem designavi.“ In Verrem V, 15.

„Qui te toties seniorum juniorumque centuriis illo honore affici pronuntiavit.“ Sueton Jul. Caes. 19. „Pactus, ut is nummos per centurias pronuntiaret.“

De perduellione vero ita proditum est. Liv. VI, 20. „(De Manlio) In campo Martio quum centuriatim populus citaretur.“ XLIII, 16. „Quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis.“ Cicero de republ. II, 36. „(legem) quae de capite civis Rom. nisi comitiis centuriatis statui vetaret.“ Val. Max. VI, 5. „Quo in judicio primae classis permultae centuriae Claudium aperte damnabant.“ Dio Cass. XXXVII, 28. „Ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ τοὺς λόχους.“ — Eadem res nobis eos, qui de tributis comitiis agunt, veterum locos inspicientibus occurrit. Quum enim, majorum magistratuum rogatione et perduellionis crimine excepto, illa tributa comitia progressu temporis totam fere rem publicam capessendam sibi sumsissent; plerisque rebus publicis ad ea translatis, totas modo tribus simul ad suffragia vocatas esse cognosces. Liv. III, 55. „Ut, quod tributim plebes jussisset, populum teneret.“ III, 63. „Omnes tribus eam rogationem acceperunt.“ III, 64. „Quum alii candidati tribus non explerent.“ VI, 21. „Omnes tribus bellum jusserunt.“ X, 24. „Priusquam intro vocarentur tribus.“ XXV, 2. „Ad suffragium ferendum in tribus discursum est.“ XXV, 3. „Priusquam ad suffragium tribus vocarentur.“ XXX, 43. „De pace uti rogassent, omnes tribus jusserunt.“ XXXIII, 25. „Omnes quinque et triginta tribus, uti rogatae, jusserunt (pacem).“ XXXIV, 8. „Nulla dubitatio fuit, quin omnes tribus legem abrogarent.“ XLIII, 8. „Comitiis habitis omnes quinque et triginta tribus eum condemnarunt.“ Cic. de leg. agr. II, 7. „Quaero a populari tribuno plebejo, ecquando nisi per 35 tribus creati sunt. Frontin de aquaeduct. pag. 207. ed. Bip. „Tribui Sergiae principium fuit.“ — Dionys. Halicar. VII, 59. „Ἡ ἐκκλησία κατ' ἄνδρα ψηφηφόρος — ἵνα — μιᾷ κλήσει τὴν ψῆφον ἐπενέγκωσι κατὰ φυλάς. VII, 64. Μιᾶς γὰς καὶ ἔικοσι τότε φυλῶν ὀυσῶν, ἅις ἡ ψῆφος ἐδόθη, τὰς ἀπολυούσας ἔσχεν ὁ Μάρκιος ἐννέα.“ X., 41. „Οἱ νεώτατοι τῶν πατρικίων διΐστασθαι βουλομένοις κατὰ φυλὰς τοῖς δημοταῖς ἐμποδὼν εγίγνοντο.“ Dio Gass. XXXVI, 13. „Καὶ ἔδοξεν ἑπτακαίδεκα φυλαῖς ταῖς πρώταις χρηματισάσαις ἀδικεῖν — μελλούσης ὂυν καὶ τῆς ὀκτωκαιδεκάτης τὰ αὐτα ψηφιεῖσθαι κ. τ. α. Appian. bell. civ. I, 12. „Ὀυσῶν δὲ τότε φυλῶν πέντε καὶ τριάκοντα, καὶ συνδραμουσῶν ἐς τὸ αὐτὸ τῶν προτέρων ἑπτακαίδεκα, ἡ δὲ οκτωκαιδεκάτη τὸ κῦρος ἔμελλεν ἐπιθήσειν.“ Aliis vero locis, ubi de tributis comitiis scibunt, formula vere solemnis invenitur: „Tribuni plebem rogarunt, plebesque scivit.“ vid. Liv. III, 54. 55; VIII, 23; XXV, 4. Quibus manifestis veterum testimoniis lectis, primam et centuriatorum et tributorum comitiorum institutionem posteriore quoque tempore integram fuisse, neminem, ex ipsis fontibus haurire solitum, fugit. Quod quo facilius intelligatur, supra laudatis auctorum classicorum locis addere liceat. Cic. ad famill. XI, 16. „Nunc si me tanti facis quanti certe facis, quum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitti ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centuries conficiat.“ De pet. cons. 8. „Jam equitum centuriae multo facilius diligentia posse teneri videntur.“ Phil. VII. 6. „Est (An-

tonius) patronus 35 tribuum, quarum sua lege — suffragium sustulit: patronus centuriarum equitum Roman., quas idem sine suffragiis esse voluit." — Quibus quidem locis equitum centurias ipsa Ciceronis aetate, easque a ceteris secretas, suffragium iniisse luculenter dictum est. Quamvis igitur centuriata comitia nullo unquam tempore mutata esse constet, hoc unum tamen, eorum mutationem ad tribunorum infimaeque plebis auctoritatem augendam non fuisse necessariam, adjiciemus. Neque enim tribunis ad leges ferendas minoresque magistratus rogandos centuriatis comitiis opus fuit, propterea quod illi tributis comitiis, quaecunque vellent, ferre a nemine prohiberi poterant, populumque Romanum plebiscita tenere oportebat. Ita enim Liv. III, 55. refert. „Omnium primum, quum veluti in controverso jure esset, tenerenturne patres plebisscitis, legem centuriatis comitiis tulere, ut, quod tributim plebes jussisset, populum teneret: qua lege tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum est." Dionys. Halic. XI, 45. „Εἴρηται δὲ καὶ πρότερον, ὅτι ἐν μὲν ταῖς φυλετικαῖς ἐκκλησίαις οἱ δημοτικοὶ καὶ πένητες ἐκράτουν τῶν πατρικίων." Vix igitur credo quemquam esse, qui, quum tributis jam comitiis popularis tribunorum potestas celebraretur, centuriata quoque comitia in rationem magis popularem versa esse existimet. At vero, si quis dixerit, comitiorum centuriatorum mutationem hanc ob causam fuisse necessariam, quod, maximis opibus Romae collatis et censu, ut ex ipso Livio (XXIV, 11.) efficiatur, mutato, Servianus classium et centuriarum ex censu descriptarum ordo constare non potuerit: hoc tantum, quod sufficiat, reponemus, ex censu quidem classes esse descriptas, sed censu mutato classes quoque mutarentur necesse non fuisse. Censu enim omnium classium ex aequa ratione aucto, eas, ut antea, inter se discretas permanere potuisse nemo negabit. Ceterum ex Liv. l. c. XXIV, 11. Serviani census mutationem factam esse conjici nequit. Quamquam enim diversum aeris millium numerum legimus, hoc tamen loco non tam adducimur, ut ex censu mutato Servianum quoque ordinem mutatum esse colligamus, quam ut aes majori in pretio haberi coeptum, et rationem aerariam imminutam esse credamus. Quod quidem re ipsa diversis temporibus itentidem esse factum, ex plurimis videre est auctoribus. Imprimis Niebuhrius V. Cl. (Hist. Rom. I, 473 — 485) immutationem rationis aerariae et ob nexos sustinendos et ob majus aeris pretium posteriore tempore necessariam luculentissime exposuit. Ita enim pergit pag. 482: „Ohne Zweifel bestimmten zur Reduction (des Münzfusses) vornehmlich Zeiten, wo man den Schuldnern zu helfen suchte; dergleichen die Geschichte so viele zeigt, dass wir wohl nicht unbefugt glauben, diejenigen, wo Abstufungen des Gewichts, wie die Sammlungen sie zeigen, eintraten, ziemlich sicher errathen zu hönnen." Et pag. 483. „Ward nun durch den punischen Krieg das Erz theurer, weil das cyprische Kupfer und das Zinn ausblieben, so hatte die Republik so wenig Wahl, ob sie ihre Asse auf das Gewicht eines Sextans herabsetzen wollte, oder nicht, als Frankreich vor vierzig Jahren über die Ummünzung seines Goldes. Geschah es nicht, so ging das sämmtliche Geld dieses Metalls aus dem Lande, und dieses verlor so viel, als der Nominalwerth zu gering war."

Servianam igitur populi divisionem sequenti tempore varie esse habitam, nulla re comprobatur. — His tam illustribus rationibus ab iis, qui contra disputant, vix quidquam majoris momenti opponi posse existimamus. Ut vero his omnibus expositis viam tutissimam prosequamur, et triplicem comitiorum Romanorum rationem uno in conspectu videamus, atque illa posterioribus temporibus neque mutata esse, neque confusa, sed aliud tantum genus ab alio auctoritate sensim superatum cognoscamus: comitiorum historia jam inde ab Romulo ad Tiberium imperatorem usque paucis modo lineis expressa adjungatur.

Tria fuisse comitiorum genera, Gellius ex libro Laelii Felicis transscripsit (XV, 27.) „Quum ex generibus hominum (omnium) suffragium feratur, curiata comitia esse; quum ex censu et aetate, centuriata; quum ex regionibus et locis, tributa.“ Comitia calata non extitisse diversum comitiorum genus ex eodem Gell. lib. V, 27. discimus: „Labeo scribit: calata comitia esse, quae pro collegio pontificum habentur, aut regis sacrorum aut flaminum inaugurandorum causa. Eorum autem alia esse curiata, alia centuriata. Curiata per lictorem curiatim calari, id est, convocari: centuriata per cornicinem; iisdem comitiis, quae calata appellari diximus, et sacrorum detestatio et testamenta fieri solebant.“

Itaque ad comitia curiata regrediamur. Ea autem ab Romulo, qui patribus centum lectis populum in 30 curias descripsit, instituta esse dicuntur (Dionys. Halic. II, 14.). Ceterum Romulo rege, qui, ut Plutarchus (Rom. 27.) auctor est, ipse potius cum patribus suis ex arbitrio statuit, illa rem publicam minus attigisse administrandam facile apparet. Prima certe, Romulo mortuo, eorum mentio fit, quum populus interregni a patribus instituti pertaesus ad regem creandum convocaretur. Liv. I, 17. „Decreverunt enim, ut, cum populus regem jussisset; id sic ratum esset, si patres auctores fierent.“ Cic. de republ. II, 13. „Populus curiatis eum (Numam) comitiis regem esse jusserat.“ Quidquid autem primis reipublicae temporibus rex et patres populi suffragiis committebant, curiatis comitiis peragebatur, et omnes, quae tum a populo ferebantur leges, curiatae erant. Praesertim iis comitiis concessum erat magistratus creare, leges sancire, et de bello et de pace, quoties rex permisisset, decernere. (Dionys. Hal. II, 14.). Ita certe Romulo auctore omnes sacerdotes et Deorum ministri a curiis eligebantur (Dionys. Hal. II, 22.); nec non senatores et celeres (id. 13 et 47.). Eodem modo lex de regibus ejiciendis curiata fuit (id. IV, 84.), et de bonis Tarquiniorum reddendis res ad curiata comitia est relata (id. V, 6.). Postea vero, quum centuriata comitia a Servio plebis fautore instituta, plurimaeque res, quae ad curiata pertinerent, ad centuriata translatae essent; curiarum sive patriciorum, quibus curiatis comitiis adesse, licebat, id certe fuit, ut, quidquid centuriatis statutum esset comitiis, auctoritate sua firmarent. Dionys. Hal. II, 60 p. 121. „τῶν πατρικίων ἐπικυρωσάντων τὰ δόξαντα τῷ πλήθει.“ Liv. VI, 42. „Ne is quidem finis certaminum fuit. Quia patricii se auctores futuros negabant, prope secessionem plebis — res venit.“ Ceterum apud Livium aliosque rerum scriptores vocabula „patres et patricios“ ejusdem interdum potestatis fuis-



se hoc loco monemus. Liv. II, 42. (patres ac plebes Volscos vicere). II, 45. (Qua plebis, qua patrum eximia virtus fuit). Legem certe curiatam de imperio, quam apud Ciceronem invenimus, et Livianam auctoritatem patrum, et Dionysii verba: „τοὺς πατρικίους ἐπικυρῶσαι" eandem vim habuisse, nemo facile negabit. Cf. Niebuhr. h. R. ed. alt. I, 340 — 350.

Neque tamen ita multo post per legem Publiliam, qua patres ante inita suffragia auctores fieri jubebantur, omnis vis auctoritati patrum in legibus magistratibusque rogandis ademta est. Liv. VIII, 12. „Lata lex est, ut legum, quae centuriatis comitiis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent." Deinde medio fere saeculo post U. c. quinto curiata comitia reipublicae causa haberi desiisse, nec nisi imaginem quandam et inanem eorum speciem relictam esse constat. Tunc enim temporis factum est, ut non triginta curiae in suffragium vocarentur, sed pro iis triginta lictores suffragium inirent; qui quidem mos ad postrema usque reipublicae tempora arrogationis, sacrorum detestationis, regis sacrificuli et flaminum inaugurandorum, auspiciorum et praesertim legis curiatae de imperio ferendae causa retinebatur. Cic. de leg. agr. II, 12. „Illa comitia (curiata) ad speciem atque usurpationem vetustatis per XXX. lictores auspiciorum causa adumbrata. — Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet." Tacit. Hist. I, 15. „Si te privatus lege curiata apud Pontifices (qui in arrogatione committenda curiarum nomine agebant) ut moris est, adoptarem." Sueton. Octav. 65. „Tertium nepotem, Agrippam, simulque privignum, Tiberium, adoptavit (Augustus) in foro lege curiata." Et Gruchius (Responsio I ad binas Sigonii reprehensiones): „Cum adumbrata illa per 30 lictores superfuerunt curiata, illa ipsa dico ad centuriata aut tributa (comitia) accessisse." Et alio loco ita disserit: „Aetate Ciceronis erant justa aliqua comitia curiata sacerdotum adoptionumque causa, et ad legem de imperio ferendam. — 30 lictores loco 30 curiarum, quod rogati erant, jubebant. — Curiae enim a lictoribus vocabantur (calari), quum autem non convenirent, lictoribus ipsis id committebatur, cujus causa curiae erant vocatae." — Ceterum hos triginta lictores vere sententiam non tulisse, sed spectatores tantummodo caerimoniae adfuisse, carmenque ab eo, qui rem referebat, propositum repetiisse, eo minus dubitari potest, quod ad celebrandam hanc caerimoniam tres saltem augures ceu testes rei adesse debebant. Cic. ad Attic. IV, 18. „Nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur." Adde Cic. ad Attic. VIII, 3. et Cic. ad famill. II, 7.

Classes et centuriae ab Servio Tullio descriptae esse dicuntur, ut plebi, quam reges deinceps e Latinorum praesertim agro Romam transtulerant, reipublicae capessendae participe facta, tributa ex aequo et bono atque facilius exigirentur, et res militaris rite ordinaretur. Liv. I, 42. „Tum classes centuriasque, et hunc ordinem ex censu descripsit, vel p a c i d e c o r u m, v e l b e l l o." Centuriata autem comitia, quibus populus per centurias divisus suffragium inibat, et, quod major earum numerus jussit, id ratum habebatur, legum et magistratuum rogandorum et judicii exercendi causa ab

ipso Servio habita esse, certis licet testimoniis demonstrari nequeat, vix tamen quisquam infitias ibit. Dionys. Halic. IV, 20. illorum potestatem, quae posterioris aevi fuit, in Servianam transtulisse videtur aetatem. Primam vero eorum mentionem faciunt auctores, qui post exactos Tarquinios duos consules iis creatos esse tradunt. Liv. I, 60. Dionys. Hal. IV, 84. Et prima lex iis lata haec erat: „Nequis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret.“ Cic. de republ. II, 31. Deinde praeter curiata comitia, quae, ut antea dictum, patriciorum erant, ita constabant, ut haec atque illa se invicem coercerent. Neque enim plebi invitae a curiis lex injungi poterat; neque quidquam centuriatis comitiis agitabatur, nisi ex auctoritate patrum iis commissum, et id tantummodo ratum erat, quod patres auctoritate sua comprobarunt. Liv. I, 17. VI, 42. Cic. pro Planc. 3. de leg. agr. II, 11. Dionys. Halic. II, 60. VII, 38. IX, 41. X, 32. X, 57. Quodsi vero perduellio judicabatur, et criminis in universum populum commissi quaestio erat, patres auctores non esse facti videntur. Dionys. Hal. VII, 59. Praeterquam quod patrum, quidquid populus centuriatis comitiis jussit, auctoritas erat, neque ulla, nisi ea auctoritate firmata lex ferebatur, plurimas adhuc res publicas curiis suis dijudicandas dederunt. Liv. III, 31. „Daturum leges neminem nisi ex patribus ajebant.“ Ita patrum curiarumque erat de pace et bello statuere (Liv. III, 18. IV, 30.), exercitus scribere et ornare (Liv. II, 18. 24.), dictatorem, a quo provocatio non esset, creare (Liv. II, 18. 30.), tributa indicere (Liv. IV, 60.). Progressu autem temporis, quum plebes et civium numero ut opibus plurimum valeret, et patriciorum gentes exstinquerentur, centuriatorum comitiorum, multis licet certaminibus gestis, summa potestas esse coepit. Dionys. Halic. IV, 20. „ἐν ταύταις ἐκκλησίαις τὰ μέγιστα ἐπεκυροῦντο ὑπὸ τοῦ δήμου.„ Quam quidem potentiam iis comitiis praesertim post leges XII tabularum latas accessisse dubium non est. Fabius enim secundum Liv. VII, 17. tradidit: in duodecim tabulis legem esse, ut, quodcunque postremum populus jussisset, id jus ratumque esset; jussum populi et suffragia esse. Cf. Cic. de legg. III, 19. pro Sextio 13. 34. post redit. II, 11. Inde jussu populi bella indicebantur, nec satis fuit senatusconsultum (Liv. IV, 30.), et praeter dictatorem, magistrum equitum et interregem magistratus fere omnes his comitiis rogabantur, non solum, quos dicunt, majores sed etiam quaestores (Tacit. Ann. XI, 22.), tribuni militum (Liv. VII, 5.), et duumviri navales (Liv. IX, 30.). Nec non judicia comitiis centuriatis de omnibus habebantur criminibus usque ad quaestiones perpetuas, quibus constitutis, unum de perduellione judicium illis erat relictum (Bach hist. Rom. lib. II, cap. I. §. XV.). Quum denique ea rerum mutatio facta esset, ut non post inita suffragia, sed priusquam suffragium ferretur, patres auctores fierent, et quidquid populus jussurus esset, ante confirmarent: summa majestas penes populum fuit, neque ejus suffragium comitiis centuriatis latum ulla re infirmari potuit. Primum quidem senatusconsultum extortum est, ut patres totius anni comitiis auctores fierent. Liv. VI, 42. Anno deinde 417 U. c. lege Publilia, qua patres legum ferendarum ante initum suffragium auctores fierent, auctoritas eorum vana

facta omnino est. (Liv. VIII, 12.). Quae patrum auctoritatis dissolutio triginta septem annis post ad magistratus quoque transfertur rogandos. Cic. Brut. 14. Aurel. Victor. de viris illustr. c. 33. Quae re factum est, ut converso rerum ordine populus, patrum auctoritate liber, senatusconsulta suffragiis suis firmaret. Dionys. Hal. II, 14.: „Εφ ἡμῶν δὲ μετάκειται τὸ ἔθος. Ὀυ γὰρ ἡ βουλὴ διαγιγνώσκει τὰ ψηφισθέντα ὑπὸ τοῦ δήμου, τῶν δ' ὑπὸ τῆς βουλῆς γνωσθέντων ὁ δῆμος ἐστι κύριος." Auspicia, quum penes patricios primo, deinde optimates, essent, aliquam quidem iis vim in comitia centuriata, quae, nisi auspicio prius sumto, habebantur, dedisse negari non potest. Quapropter apud Gellium (XIII, 15.) auspicia patriciorum dicuntur. Liv. VI, 41. „Penes quos sunt auspicia more majorum? nempe penes patres." Cic. de divin. II, 35. „Quod quidem institutum est, ut principes civitatis essent comitiorum interpretes." — Id. pro dom. 14. „Auspicia populi Rom., si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, cum interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse, et a patricio prodi necesse est." Cf. Rabener de jur. ausp. apud Rom. cap. III, §. 12.

Illa vero summa potestate centuriata comitia, quum tribus triginta quinque expletae mox populi majestatem adfectarent, et cum centuriis classibusque de principatu contenderent, diu non gaudebant. Itaque plurimae res publicae, quas pro lege lata centuriatis comitiis agitari necesse non erat, tributis abhinc comitiis a tribunis mandabantur, ut praeter magistratus majores, (penes quos erant majora reipublicae auspicia) rogandos et perduellionem judicandam fere nihil esset, quod tribus in re publica gerenda sibi non arripuissent. Saepius tamen accidit, ut postea optimates occasione data rem a tribubus huc usque usurpatam pristino jure ad centurias deferrent; quare postremo quoque tempore leges ejusmodi aliquas a dictatoribus, consulibus et praetoribus auctoritate senatus centuriatis comitiis latas videbis. Ita populus iis comitiis bellum cum Philippo III. Macedonum rege esse jussit Liv. XXXI, 6 — 8., et Cicero iisdem in patriam est revocatus. Cic. post red. II, 11. „Quo die nos comitiis centuriatis, quae maxime majores comitia justa dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam." Quamquam Sulla dictator, tribunorum plebis potestate minuta omnique jure legum ferendarum ademto, edixit, ut comitia abhinc non tributa, sed centuriata ex Servii Tullii instituto haberentur (Appian. bell. civ. I, 59.); illud tamen edictum minus diuturnum fuit, et Sulla mortuo Pompejus et Caesar, infimae plebi indulgentes, priorem rerum ordinem reduxerunt. Cic. ad Att. IV, 16. „Efficiemus rem gloriosissimam. Nam in campo Martio septa tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi, eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. Simul adjungetur huic operi villa etiam publica. Dicis, quid mihi hoc monumentum proderit? quid? celabo res Romanas? non enim te puto de lustro, quod jam desperatum est, aut de judiciis, quae lege Coctia fiant, quaerere." Deinde Julius Caesar, cui U. c. 706 omnes magistratus, exceptis tribunis plebis (Dio Cass. XLII, 20.), deinde et hos creandos (Dio Cass. XLIII, 45.) permiserunt, ne Romanos dulcedine libertatis fruitos nimis irritaret, magistratuum rogandorum comitia ita cum populo partitus est, ut consules ipse crearet, et ceteros

magistratus pro parte dimidia per libellos populo commendaret. Sueton Jul. 41. „Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro altera parte, quos ipse edidisset.“ Qui quum denique pro praetoribus praefectos constituisset, qui praesente se res urbanas administrarent (Sueton. Jul. 76), et censorum munus sub nomine praefecti morum sibi admisisset (Suet. Jul. 76. Cic. ad Famill. IX, 15.); nulla res jam publica fuit, quae more veteri centuriatis agitaretur comitiis, eaque igitur illius imperatoris aetate, dum tributa comitia plebis causa ab ipso culta permanebant, esse desierunt.

Comitiorum denique tributorum, quae non solum ad magistratus minores rogandos et sacerdotes collegiorum adoptandos, sed etiam ad leges ferendas et judicia quaedam agenda habebantur, prima, quam nos quidem novimus, actio fuit judicium Coriolani (Liv. II, 35. Dionys. Hal. VII, 59.). Neque multo post Kaesoni Quinctio (Liv. III, 11.) et Appio decemviro (Liv. III, 55.), M. Postumio et T. Quinctio (Liv. IV, 41.) et C. Sempronio (Liv. IV, 44.) tribuni plebis diem quum dixissent, tributis comitiis suffragium de iis ferebatur. Quibus tamen ex locis efficimus, tributa comitia nonnisi judicia, quae de multa irroganda erant, habuisse. De capite quidem judicare non poterant, quod supra demonstravimus; si quis vero ante diem dictam in exilium abiisset, ad decernendum ei id exilium satis fuit tributa vocare comitia Liv. XXV, 4. XXVI, 3. „Id ei justum exilium esse, scivit plebs.“ Quod sacerdotes collegiorum iis comitiis creandos attinet, legem tulit 650 U. c. Cn. Domitius trib. pl., ut sacerdotes, quos antea collegae cooptabant, plebes crearet. Quum autem per universum populum creari fas non esset propter religionem sacrorum; per septemdecim ipsas tribus creabantur. Cic. de leg. agr. II, 7. „Atque hoc idem — Cn. Domitius tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.“ Ceterum plebs omnibus de rebus, quae bono publico essent, nec non de magistratibus suis rogandis, sciscere tribunis auctoribus potuit. Quae quidem potestas ei facta est, postquam Volero (U. c. 283) rogationem tulit, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent, iisdemque omnia, quae ad plebem spectarent, agitarentur. Liv. II, 56. Dionys. Hal. IX, 41 — 43. Zonaras VII, 17. „Ἐξεῖναι τῷ πλήθει καὶ καθ' ἑαυτῷ συνίεναι, καὶ ἄνευ ἐκείνων (τῶν εὐπατρίδων) βουλύεσθαι καὶ χρηματίζειν πάνθ' ὅσα ἂν ἐθελήσῃ.“

Ea vero plebiscita nondum pro communibus totius reipublicae decretis habebantur, et patricii ea ad solos plebejos pertinere existimabant, donec L. Valerius Potitus et M. Horatius Barbatus U. c. 306 rogationem tulerunt, ut leges, quae a plebe tributis comitiis latae fuissent, ex aequo omnes Romanos tenerent, eandemque vim haberent, quam quae centuriatis comitiis ferrentur. Liv. III, 55. Dionys. Hal. XI, 45. Hanc legem, quae omnem rei publicae administrationem ad plebem transtulit, patres sibi injungi aegerrime passi esse, et omni virium contentione aliquamdiu restitisse ei videntur; eam enim postea iterum a. Q. Publilio dictatore (a. 417),

et tertia vice ab Hortensio dictatore (a. 468.) latam esse invenio. Liv. VIII, 12. Gell. XV, 27. „Q. Hortensius dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.“ Qua Q. Hortensii lege centuriatis comitiis, quorum ante summa fuit potestas, tributa snnt aequata, nec multum abfuit, quin omnem populi majestatem sibi vindicarent, nisi qualibet de re, auspiciis optimatum neglectis, cum populo agere religiosum fuisset. Quo factum est, ut magistratus majores, quos nisi auspicato rogari fas erat, tributis comitiis nunquam crearentur, et centuriata comitia cum tributis causas promiscue tractarent. Quin immo senatus ipse, si qua auxilii celeritate opus esset, cum tribunis egerunt, ut rem, quae alias centuriatis agitaretur comitiis, ad plebem ferrent. Liv. VI, 21. VII, 15. VIII, 23. XXVI, 21. Quae quamvis Sulla dictator, ut plebis furorem reprimeret, paulisper abrogasset, mox tamen, Sulla mortuo, priorem nacta potentiam, deinde vero a Jul. Caesare in jure veteri interpellata, ad ipsa Domitiani tempora usque habebantur. Licet autem tunc temporis tribus vocarentur, nihil tamen praeter Imperatorum voluntatem agebant (Dio Cass. XLIII, 47; LIII, 21. „οὐ μέντοι καὶ ἐπράττετό τι, ὅ μὴ καὶ ἐκείνῳ ἤρεσκε“), ut nonnisi vanam pristinae potestatis speciem praeberent et imaginem; nec non vere Tacitus (Ann. I, 18.) contendere videatur: „Tum (Tiberii aetate) primum e campo comitia ad patres translata sunt. Nam ad eam diem etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant.“ Cf. Heineccii syntag. antiqq. Rom. I. app. 65.

Haec de integra classium centuriarumque ratione agitata hoc loco sufficiant. Alio forsitan tempore eandem rem, quam paucis hic monere magis, quam exponere licuit, fusius disputandi facultas erit.
